Discors Concordia PAPÆ:

VEL

Antitheſis Antichriſti cum CHRISTO.

P. G. D.

CVM RESPONSIONE INVECtiua Ter. Or. Romam in eadem.

Oratio item pia pro Regina noſtra Elizabetha.

Per eund. G. D.

LONDINI,
In ædibus Richardi
Iohnes. Typograph. 1595.

161

Discors Concordia

PARE:

LONDINI,

In ædibus Richardi

Iohnes. Typographi. 1595.

Ornatiſsimo viro, & bonarum literarum candidiſſimo Mæcenati, *M. Roberto Nicholſonno*, S. pl. dicit.

CVM circumſpicerem, fauſto quo ſydere nauis,
In qua ferretur chartula, ſoſpes eat.
Obuia ſit noſtris clarum Venus aſtron ocellis,
Et mare tranquillum det Venus orta mari.
Sed timui, noſtro ne ſiat amicior hoſti,
Nam ſimilis ſimilem gaudet habere ſuum.
In ſtudio Veneris Venerem præit iſte Sacerdos,
Ad ſtellas alias lumina flexa tuli.
Et gemmos cernens in cœli vertice fratres,
His dixi, Dæcibus iam mea nauis eat.
Sed timui, noſtro facerent fraternus hoſti,
Par cupit adiungi cum pare quiſq; ſuo.
Vix homo dicendus, voluit Deus eſſe Sacerdos,
Ad ſtellas alias lumina flexa tuli.
Et cernens Vrſam magna cum matre minorem,
Auſpicijs (inquam) nec mea cymba ſuis,
Sed timui, noſtram quod gratia maior in hoſtem,
Nam ſimilis ſimili iungitur vſque ſuo.
Iſte feros vrſos ſuperat feritate ſacerdos,
Cæde enim victus oblitus vſque ſuos:
Quas igitur ſtellas, vt ſim tutela vocabo?
Aut quibus auſpicijs hæc mea cymba natet?
Noctis ad vmbroſæ refugis quid ineptule luces?
Lumina ſorte dabit proſperiora dies.
Sol tibi præſtabit, nequeant quod lumina noctis,
Præbebit ſolidam ſol tibi ſolus opem.

Omnia lætificat Phœbus surgentia, mundus
Subsecutus chaos est, nox sine sole dies.
Primus notitiam varijs mortalibus artis,
Nobile notitiam nomen, *Apollo dedit.*
Inuentorum medicina summus est, plectrumq; sagitta,
qui vel ficta canunt, quiue futura canunt.
O *qui laurigeris sic auxiliare poetis,*
Ingeniisq; faues ingeniose bonis:
Cymbam nostrorum moderaris Apollo poetæ,
& quia Sole nihil clarius, *affer opem.*
Ne mea iam metuat ventorum cymba susurros,
quid crepitans aduolo, quid leuis Eurus agit.
Scyllæos illæsa canes, rabiemq; Charybdis
prætereat, dubiam Sola regente viam.
Vade liber, fœlixq; tibi Sol *aureus adsit:*
& iam musa nouum suscipiamus opus.

Georgius Dicheus.

Hexasticon Gul. Harw. in huius opusculi encomion.

TV quoque ad exitium Papæ noua tela cudisti?
Percutiente tuo cuspide volnus habet.
Scilicet vt pereat, pereant qui quærit vt omnes,
Omnis homo pergat pectore, voce, manu.
Perge *Dicher*, finisque tuis his ausibus æquet,
nempe vt magna canis, grandia multa can:

Comparatio Papæ cum Christo.

CVm Christum simulas, & ab illo primus haberis,
In quo sis similis papa, videre libet.
Rex Christus, rex Papa, sed heus quàm dispar ab illo!
Tu glebam puluis, πᾶν ἄνθρωπος ἐγώ.
Ille pius, placidus, regnas tu Papa tyrannus,
Christus pacis amans, Papa cruoris amans.
Missus de cœlo Christus, tu dæmone missus,
Dęmonium: præter nil tua vita sapit.
Tu venis vt perdas, saluatum venerat ille,
Tu iungis duro, liberat ille iugo.
Virgo Maria fuit Christo purissima mater,
Nunquam, nupta licèt, passa Maria virum.
Vel genetrix tibi Laïs erat, vel peior Erynnis,
Humano nasci semine facta negant.
Ira, furor, vindicta, cruor tibi semper adhærent,
Gratia cum Christo, pax & amica salus.
Ipsis tecta extam rigidis tulit ille coronam,
Tu diadema valens multa talenta geris.
Vectus erat tenera Christus rex noster asella,
Tu fulges magnis aureus, altus, equis.
Regibus ipse pedes lambendos porrigis imos,
Discipulûm plantas ille fouebat aquis.
Quo simulas præter? simulas in cœlibe vita,
Tu cœlebs, cœlebs Christus & ille fuit.

Cælebs, par Christo, meretricetis, esto Priapo,
Par magis iste tibi Papa Priapus erit.
Vnius Vxoris Christus monet esse maritum,
Tu socias turpi plurima scorta thoro.
Ille bonus pastor λύκους ab ouilibus arcet,
ποίμενα μὲν ποίεις, καὶ λύκος ἐνθὶ κακός.
Tu Lupus inter oues, ouium quum Pastor haberis:
Istis væ gregibus, quos regit iste Lupus.
Propria communi præponis lucra saluti,
Delicias vltra nec tibi cura tuas.
Tristitiam mortem, nobis vt gaudia vitam
adferat, hic moriens in cruce passus erat.
Te gestant humeris, vt Cœlum sustulit Atlas,
Mox crucifigendus pertulit ille crucem.
Ascendit liquidos hic pleno tempore Cœlos,
Atria te Ditis pulchre Priape manent.

Responsio

Responsio inuectiua Romanistæ ad præcedentia.

E Vomit innumeras genus hoc leuis Anglia sordes,
Hos dudum fructus Angulus iste tulit.
Angulus iste tibi melius quum debeat omnes,
(Angele sancte) preces, has habet ecce feces.
Quos alios fructus nisi fœdos, fœtida reddit
Arbor? & e sterili carduus exit humo.
Sit procul, hæc tolli leuibus leuiora Sibyllæ,
Sanctum Papa tuum tangere posse caput.
Hæc patres, Christusq; fuit conuitia passus,
hæc fato quodam iuncta fuêre piis.
Tempus erat, quo Papa suos accepit honores,
Accepit cultum quoque Iehoua suum:
Nunc Deus & cultum, nunc papa amittit honorem,
Nunc simul exilium papa Deusque ferunt.
Quis non præteritos probat & desiderat annos?
Quis non, quæ nunc sunt, tempora dura vocat?
Anglia dum papam nouit, fœliciter egit,
Anglia dum papam nescit, ἀχαρὶς agit.
Nunc vbi vera fides? Vbi nunc elemosyna, mortis
Antydotum, veniæ porta, salutis iter?
Dic vbi, qui stabilem quærunt operando salutem?
Indiga quid factis vult ea vestra fides?
Cur cessant in vota, preces, holocausta Brytanni?
Cur spoliant aras sanguine, thure focos?
In diuos ipsos heu quæ tanta tyrannis?
Quum nihil in diuos impetus vllus agat,
Dilacerant statuas templum decora alta suorum,
Et diuis adimunt (proh scelus omne) preces.

Quis.

Quisnam præterea iam supplex numen adorat?
Sternitur aut sedem Clauiger ante tuam?
O Deus armipotens, dea parturientibus o tu,
quàm raras preculas auxiliaris habes!
Si quid honoris erat iam nunc tellure moratis,
Cur iam cœlitibus non tribuatur honos?
An plus in terris illos potuisse putatis?
Quòd minor in cœlis iam sibi detur honos?
Nec satis est sacras temerare bipennibus ædes,
vos o Athæos, sacrilegosque malos.
Nec viduare satis votis & imagine diuos,
sed furor in sanctam porrigit iste crucem.
In cruce nostra salus, via vera, & ianua vitæ,
peccati pretium, dulce pependit onus.
In cruce fusus erat nostro pro sanguine sanguis,
In cruce cæsus erat victima læta Deo.
In cruce post longas tenebras lux prima refulsit,
In cruce victa dedit mors sua terga fugæ.
Quod scelus, aut crimen crucis est in imagine sanctæ
Ni scelus, aut crimen sit meminisse tui.
Christe tui meminisse docet, mortemque figurat,
Atque humiles animos ad magis alta vocat.
Fama vetus memorat quondam vixisse gygantes,
Qui contra superos arma tulere deos.
Hos ego progeniem veterum reor esse gygantum,
Qui nunc cum Sanctis, cum Ioue, bella gerunt.
Tres olim cœlos insurrexere gygantes,
Producit præsens plurima monstra dies.
In caput authorum sua pondera versa fuere,
Sunt passi & telis vulnera facta suis.
Imminet his etiam, quamuis differtur in horas,
Immines, & certo tempore pœna cadet.

Nec tamen immunes ex omni parte Brytanni,
Namque Dei digito percutiente dolent.
Morbo percutiens missus fuit Angelus Anglis,
Cæsaque sunt vno corpora mille die.
Vix hæc in tenues cœpit dilabier auras!
En noua pestis adest, pestis acerba fames.
Auras questa prius, queritur ieiunia plebis,
Præ donis animæ corporis vsque ferens.
Iam meritò panem, quo corpus pascitur, illum
Quærit, & in nullis inuenit illa locis.
Terra negat fruges, sua commoda pontus, & aër,
Hic auras læsas dat, negat alter aquas,
Paruus ab igne calor procedit summa tenenti,
Ipsis quantillus fratribus este calor!
Omnia sic vobis miseris elementa repugnant,
Ipso cum tellus aëre, flamma, fretum.
Vnde nouum nostras hoc tam citò venit ad aures
Quæritis? In vestris sedula Roma malis.
Quanta sacerdotis summi sit vbique potestas,
porrecta á terris ad loca summa poli:
Quantus in officio, cuius successor & hæres,
Dicere iam par est, sed tacuisse placet.
Haud ego digna satis tanto de numine dicam:
Nulla loqui præstat, quàm malè digna loqui.
Quantus erat Petrus, terrarum iudicet orbis,
Tantus in officio, par erit ille Petro.
Soluendi claues intra, supraq; ligandi,
Quas Petro Christus, dat tibi Papa Petrus.
Pasce gregem, Dominus Petro petiturus Olympum,
& rursus curam, dixit, ouilis habe.
Agnos pasce meos, Petrus tibi (maxime præsul)
& claues tradens, has (dixit) opes.

Sic oritur Petro successor verus ab ipso,
Papa potens cœlo, Papa potensque solo.
Præsulis imperium cœlestia numina flectit,
Angelus ad nutus itq; reditque tuos.
Haud veterum Papæ leges incidit ista parentum,
A partu tunctos quæ facit esse reos.
Purus ab erraris, & natus semine puro,
Filius haud hominis credaris esse patris.
Omnia cum poteris, tibi ipsi esse erunt negatum,
Deficiunt tebus crimina sola tuis.
Sic te Vicarium terrarum circulus, vnum
Agnoscit summum, pontificemq; suum.
Nec tamen in templis tantùm tua clausa potestas,
Te penes est vertumq; ius gladiiq; tenes.
In terris princeps non estne principe maior,
Ipso sub cœlis a Ioue summus eris.
Ista corona triplex quid vult nisi tempora cingens?
In regni terminis quid, nisi posse tuum?
Quod Dis, Neptunus, tenuit quod Iuppiter, vnus.
Papa sub imperio possidet omne tuo.
Vel solio stabulare unum est, vel ponere reges,
Reges arbitrio stantq; cadantq; tuo.
Iure reponendi, qui non cum iure creati,
Regnatur iustè non, nisi iure tuo.
Virgo præest Anglis, virgo, non debita princeps,
Debita, decretis & foret vsa tuis.
Virginis ah quæ me subeunt in nomine curæ!
ah quid dam plenum vox sonat illa Deos.
Annos dum memini tranquilla per otia lapsos,
Me quoque cum mollis principis ira subit.
Cumque subit, quoties militantia tela fefellit,
& cadere in fydias, quas dedit illa manus.

Non

Non hæc euenisset aliquo sine numinis, inquam:
& quædam video, quæ vel in hoste probo.
Quoq; magis miror, tanto minùs erigor in spem,
quod teneat veram Roma superba fidem.
Quò feror? aut animus quantis immergitur vndis?
Sit mihi (nam dubito) fas dubitata loqui.
Vtra fides melior, magis vtra vel orthodoxa,
Seu tua Roma fides, Anglia siue tua:
Illa placet, placet hæc, nec meus discernere possit,
Vera sit vtra fides illa, vel illa magis.
Principis hanc mores faciles, hanc tempora pacis,
hanc miris laudant tela repulsa modis.
Vnde nisi a Domino, potuisset regia virgo,
sospes ab insidiis Roma superba tuis?
Si Deus accipiat tantis in amoribus Anglos,
Est etiam verbi gratia danda sui.
Quid loquor? aut linguæ quid suggerit Anglia vanæ?
Parce, precor, verbis Romule magne meis.
Anglia laudo tuam, tamen hac requiesco libenter,
Roma caput rerum quam docet vsque fidem.
Haud noua nostra fides, nec sertis orta sub annis,
Vsque sed a primo firma, manensq; fuit.
Stat, stetit, & stecerit, nullo violabilis ictu
Fortunę, nullas perpeturq; vices.
Mobilior ventis, mutat, mouet, atque vacillat
Inconstans, fragilis, lubrica vestra fides.
Parua domus vestra est, magni brevis angulus orbis,
ampla quidem nostra est, & numerosa domus.
In te laudandum nil tutam præter Elizam,
Anglia tota venit laus tibi, laude sua.
Quę cum finierit, quod vt o precor (eia precandi
Impos, quid tanto lingua stupore siles?)

Quæ cum finierit, fluxum quum transiget æuum,
Iacturam domus est vestra latura grauem.
Qualis Elisa modus quondam Carthaginis altæ,
per geminas miserum, te pereunte faces.
Talis Eliza modus (quem non procul augurer esse)
Accidet Angligenis post tua fata tuis.
Roma recognosces victos inuicta Brytannos,
Subdiderintq; tuo colla superba iugo.
Et Thamesis Tyberim, Capitolia candida turris,
Accipient Dominos in sua iura nouos.
Ecce sonant claues, linguis animisq; fauete,
est agnoscendus per sua signa Deus:
Papa venit, secumq; inducit sacra penates,
Omnis, io pæan dicito, papa venit.
Et vos, quos Dominæ fidos alit Anglia Romæ,
præmia iam fidi pectoris accipite.
Liberius missas celebrare licebit omnibus,
& χαίρειν iterum, sancta Maria tibi.
Nil non in melius rediget presentia papæ,
Ordine disponet quæq; relapsa suo.
Implebit valles, & montes deprimet altos,
Inq; suum sparsos ducet ouile greges.
Vos o humano defunctæ corpore mentes,
Vos nullis cultæ nunc, nisi Roma tuis:
Tu tamen in primis (cuius successor & hæres
papa) fauens adsis, auxiliumq; feras.
Dedecus aspicitis pœna sine vindice vestrum?
numina sic sinitis vestra iacere solo?
Quin potius papæ vires adiungite vestras,
In pœnas vindex lætus eatq; suas.
In te sit quantum, derisor sentiat, instar
Angulus Angelici numinis iste tui.

Et

Et tibi, quisquis eras, audenti talia papam
In sacrosanctum lętifer ensis adest.
Vtiliùs rastris, poteraśq; ligonibus vti,
est tibi captandum rustice ruris opus.
Te super interea, super omnes atque Brytannos,
Aes, liber & lumen: lux, liber, æra cadant.

Terroper Oryzeū.

Romæ, datum Idib. Iunii. 1594.

Oratio pro Regina
ELIZABETHA.

O Æterne pater, regnas qui trinus & vnus,
Cui non ortus erat, cui neq; finis erit.
Dignas per meritis (ita crescit copia) grates,
Non opis est nostrę persoluisse tibi.
Plura quidem tua sunt, in nos collata Brytannos
Munera, quàm possint mente, vel ore capi.
Lumen Euangelii radiantis in omnia mittis,
& vero mentis pascimur inde cibo.
Mittis Reginam miris virtutibus auctam,
Cuius cum læta tempora pace fluunt.
O ego quàm vellem iam principis ædere laudes:
Sed non est huius carminis illud opus.
Vnanimes mecum genua inclinate Brytanni:
præsentis siquidem carminis illud opus.

Altaq;

Altaque tendentes duplices ad sydera palmas,
Dicite pro salua Principe quisque preces.
Vt solita Dominam cura tueatis Elizam,
vt nullo patrius tempore desit amor,
Vt plures viuat, multos quum vixerat annos,
Pace regens populos, inque timore Dei,
Te Deus oramus, te supplice voce rogamus,
Exaudi nostras o Deus alme preces.
Læthales omnes coniurata arma mouentes,
fac Deus, in foueas quas posuere, cadant.
Cerberus ille triplex triplici diademate fulgens,
Vipera non hortos tangat & illa tuos.
Nemetetrix nostras Babylonia polluat vrbes,
Inque suis pereat turpis adulteriis.
Vinea producat grauidos fœcunda racemos,
sospes ab ingressu depopulantis apri.
Ne Lupus ille rapax, teneros deterreat agnos,
Concussi rabido qui semel ore lupi.
Iste canis stygius, mala vipera, nobile scottum,
Sus, lupus inueniant pro meruisse precor.
Herculeos o passe semel, passure labores
O iterum serpens, nil tua cuspis agit.
Nil agis, o immunde canis, tria guttura pandens,
Exacuas dentes in tua membra tuos.
Eiicis aut tumido spumas quid setiger ore?
Anglia non pedibus est adeunda tuis.
Quid nostrum stultè speratis Amazona vinci,
Laudes Herculeæ *Setiger*, *Hydra*, *Canis*?
Assistente Deo plus Virgine pugnat Eliza,
pugnat, & in dextra claua trinodis inest.
Claua trinodis inest, trino quæ numine pollet,
Hoc gressus baculo dirigit ipsa suos.

Tua

Alma tenet clauiam, clauum moderatur Eliza,
Hæc domat aduersos, hoc regit illa ratem.
Fluctibus insanis ratis hæc absorpta fuisset,
fœlicis dextræ si caruisset ope.
O quibus obiectam, quantisq; tremoribus illam
Linques? cum Parcæ longiùs esse negant.
O si perpetuo fruereris vere iuuentæ!
O si vel senii semper abesset hyems!
Si quid apud Parcas virtutum gratia posset,
viueret, & semper dulcis Eliza foret.
Sed quoniam cuiquam semel est occumbere mortem,
Transeat in cineres & caro quæq; leues:
Oremus summum qui prospicit omnia patrem,
Seriùs Elysias scandat Eliza domos.
Claudat sermonem breuis hæc precunecula nostrum,
O viuat, valeat, vincat Eliza. *

Georgius Dicherus, Oxonienſi.

FINIS.